

exploratissimum haberet, se post beatam mortem cum Domino semper futurum, eum moriturum nihil quidquam contristavit. Biduo enim ante excessum e vita interrogatus a collega & Directore suo, D. Cypriano, num quid eum sollicitum haberet? nihil omnino, ait, & ne infans quidem meus semestris. Deus, qui fratrum meorum meique, patre orborum, curam egit, ipsi quoque & saluti ejus prospiciat. Atque paternae hujus providentiae filiolum suam sibi, in morbo letifero cubanti, suo jussu allatam, commendavit, Deum precatus, ut eam quam beatissimam esse juberet. Elatus est die IV. Februarii anni MDCCXIII. sepultus in aede S. Salvatori sacra in monumento optimi parentis sui. Sermonem funebrem in exequiis ejus ex verbis Paullinis II. Cor. V, 1-5. in templo Mauritiano habuit Maxime Reuerendus M. JOHANNES GVILIELMVS KNAVER, Archi-Diaconus. Defunctum laudavit Summe Reuerendus D. ERNESTVS SALOMON CYPRIANVS, Collegii Casimiriani t. t. Director, ejus & Theodori Gazae vita elegantissime inter se collata. Quae  
lau-

JOH. CASPAR. SVICERVS in *Thesauro Eccles. sub*  
VOC. Εφώδισον. Tom. I. p. 1292.

C